



Q. D. B. V.
DE
STVDIIS ACADEMICIS
ORDINANDIS.

SECTIO I. EAQVE PROOEMIALIS.

CAP. I.

De Eruditione.

§. 1.

CUm omnibus, qui studiorum
gratia in Academias veniunt,
propositum esse debeat, ani-
mum *eruditione* in publicam
profutura perpolire; opus est, ut ante,
quid, & *quotuplex* sit ea, sciatur, quam
illam studio & industria debita conse-
qui forte nitantur.

§. 2.

Ea vero, summatim loquendo, *par-*
tim in lingvarum peritia, *partim* in ar-

A

GIUM

tium & rerum, cum divinarum tum humanarum, &, quæ ad artes liberales ac scientias pertinent, notitia consistit; qua animus excolitur atque perficitur, ne incultu & socordia torpescat.

§. 3.

Lingvæ, quæ primum huc pertinent, sunt vel omnibus eruditis propriæ; ut *Latina & Græca*; vel quibusdam tantum eruditis (Philologos & Theologos puta) utiles, ut *Hebræa, Chaldaica, Syriaca, Arabica & Orientales aliæ*. Cæteræ lingvæ, ut *Gallica, Italica, Hispanica & Anglica* Theologos & Politicos ornant quidem, ac interdum etiam Theologos juvant; hodie imprimis, ubi multi libri Theologici Gallici Gallico & Anglicano idiomate exarati profstant utiles. At vero non ita necessariæ sunt, ac supra jam nominatæ, *Latina, Græca & Hebræa*.

§. 4.

Artes deinde liberales, rerumque variarum, seu divina, seu humana vocetur,

tur, *scientia*, eruditionem efficiunt variam. Quapropter eam pro rerum varietate, circa quas occupatur, distingvemus in *utilem*, *elegantem* seu *curiosam* & denique *inanem*.

§. 5.

ERUDITIONEM UTILEM vocamus, *cujus* usus in vita humana & sociali manifestus est; ut *Theologica*, quæ est *κατ' ἐνοχέειαν*, ex S. literis quippe hausta; *Moralis*, quâ animus ad vitam honeste transigendum excolitur; *Juridica*, qua lites civium juxta leges civitatis determinantur; *Physico-Medica*, qua sanitas corporis procuratur; *Mathematica* vitæ humanæ multas commoditates adfert; *Historica* rerum gestarum in Ecclesia & republica memoriam conservat; & *Oratoria*, qua viri, in sacra & civili societate apte loqui instruantur.

§. 6.

ELEGANS & CURIOSA dici potest, quæ hominem ingenuum ornat magis

gis humanique ingenii præstantiam arguit; ut subtilis rerum naturalium aut mathematicarum cognitio, antiquitatum variarum notitia, critica seu scientia judicandi de bonis & malis libris, literis & monumentis ingeniorum eruditorum. Huc *Poëticam* etiam referas. Cujus utilitas licet tanta non sit, ut citra eam vita humana minus sit felix; cultiorem tamen hanc & politio-rem illam reddere, quis eruditorum neget? cum vel condimentum, vel ornamentum vitæ adferat civili.

§. 7.

INANIS *eruditio* est notitia commentorum, quibus ingenia otiosa distinentur in claustris & scholis, quæque nullam in hac vita præstant utilitatem aut etiam ornamentum: ut maxima pars Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ; magna pars etiam Criticæ in variis scriptorum gentilium lectionibus colligendis aut censendis occupata. De qua illud *Martialis II. Epistol. 86.*

EXAU-

DE ERUDITIONE. §

exaudiendum est: *Turpe est, difficile
habere nugas, & stultus labor est ineptia-
rum.*

§. 8.

Præterea *eruditio*, ingenii & indu-
striæ humanæ ratione habita, in *solida*
seu *accuratam*; & *tumultuariam*
seu *superficiariam* distingvi solet.
Quando *Poiret* eruditionem in *solida*,
superficiariam & *falsam* dispescit,
usum ejus non tam in schola, quam in
vita Christiana quærit. Item, si res,
quæ sciuntur, sublimes & vulgares re-
spicis, alia *sublimis* & *recondita*, alia
protrita & *ubivis obvia* dici potest. De
quibus à nobis alibi fufius actum est.
*confer Ger. Jo. Vossii Dissertationem, quæ
tradit: quibus disciplinis perfecta constet
Eruditio, & Summi Viri, nostri Pafen-
dorffii libr. II. de J. N. & G. c. IV. §. 13.*

§. 9.

Hic in seligenda eruditione & ordi-
nandis partibus ejus, prudentia opus
est literaria; ut illa ad usum aliquem
vitæ

vitaë humanæ, imprimis ad culturam animi promovendam referatur. Recte enim *Lucianus in Convivio*: ἔδεν ὄφελος ἰσχυρὰ τὰ μαθήματα, εἰ μὴ τις ἀρετῆς ἢ εἶον ῥυθμίσει πρὸς τὸ βέλτιον. *Nihil prodest, nosse literas, nisi quis & vitam melius disponat.* Quare *Pacuvius* aq̄d *Gellium l. XIII. c. 8.* dixit: *Ego odi homines ignava opera, & philosopha sententia.* conf. *Gellii libr. I. c. 2.*

§. 10.

Non ultima prudentiæ hujus pars est, scire eruditionis discrimen, studiorum scopum atq̄ve ordinem, quo in hoc itinere literarum progrediendum, ut diverticula, ambages & flexus devii evitentur. Magna quidem res, ipsum artium & sapientiæ studium est, sed non minor, id instituire recte, & facere gradus, & ordine vero procedere. Quapropter cum eruditio & studia literarum latissime pateant, dignaq̄ve multa sint, quæ in scholis excolantur; pro ingeniorum habitu, pro fortunæ & status conditione, pro fine & scopo, alia

alia aliis pars sequenda & frequentanda diligentius est. Elegantissimus hic *Edmundi Richerii libellus*, qui *Obstetrix Animorum* inscribitur, ac prudentem docendi & discendi methodum continet, consuli meretur. Sed nobis pro Facultatū, in quas literarum studia hodie distincta sunt, varietate, ordinem usumque hujus vel illius eruditionis breviter studiosæ juventuti commonstrare, nunc animo sedet.

CAP. II.

De varietate eorum, qui bonarum literarum Studiosi in Academiis audiunt.

§. I.

OMnes, qui eruditionis causa literarum studiis incumbunt, & inde *Studiosi*, trito apud nos vocabulo, nunc appellantur, certæ eruditionis parti, quæ *Facultas* vulgo dicitur, operam suam potissimum addicere solent. Hinc in quatuor velut genera, secundum Facultatum nomina, illos distingvi notis-